



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. IV. Solvuntur objectiones

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

in statu innocentia indifferentem ad utrumlibet potestatem habuit & exercuit; non autem de homine lapsus, qui unâ cum iustitia originali indifferentiam illam voluntatis amisit. Non valet, inquam, quia hæc verba Ecclesiastici, *Si volueris mandata servare, conservabunt te, apposit tibi ignem & aquam, &c.* manifestè diriguntur ad homines viventes, & non solum ad Adam longè antea mortuum. Illa quoque: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*: non de unico Adamo vel Eva prolata sunt, in quorum optione non est ampliùs vita & mors, bonum & malum, sed generaliter de omnibus viventibus & ratione utentibus ante quos bonum & malum proponitur, intelligenda sunt. Item illud Josue ultimo; *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, evidentiùs dicebatur Israëlitis presentibus*, quos vir ille sanctus morti propinquus, ad retinendam fidem avitam, pietatemque erga Deum inducebat. Et illud Ecclesiastici 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* dicitur generaliter de iustis, Dei mandata servantibus. Denique cum dicitur Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, est ibi sermo de homine post lapsum Adami, nempe de Caino, non verò de primis parentibus.

158 Potest etiam probari conclusio ex SS. Patribus, qui passim libertatem indifferentia in nobis agnoscunt, & variis encomiis celebrant. Eorum testimonia colligunt Controversista, præsertim Bellarminus lib. 3. de libero arbit. cap. 5. Nobis sufficere pauca & illustriora producere. Primus occurrit Gregorius Nissenus, vel potius Nemesius eius contemporaneus, qui lib. 7. de Philosophia cap. 1. & 2. libertatem arbitrio nostro concessam explicat per indifferentiam ad hæc contradictoria: *ire & non ire; dare & non dare; concupiscere & non concupiscere; latari & non latari.* Similia habent Damascenus lib. 2. de fide cap. 25. & 26. Athanasius orat. contra idola, & Basiliius in Psal. 61. ubi ut declararet hanc voluntatis nostræ libertatem & indifferentiam, eam comparat libræ seu statere: *Cuiuslibet nostrum (inquit) intus statera quadam est à conditore omnium apparatus, per quam rerum naturas possit appendere, bonumque à malo discernere.* Quam cogitationem antea Tertullianus expresserat lib. 2. contra Marcionem cap. 6. his verbis: *Quasi libripens emancipati à Deo boni libertas & potestas arbitrii.*

159 Favent etiam Patres Latini: nam Augustinus, ut eandem voluntatis nostræ indifferentiam explicet, comparat eam cardini versatili, qui modo versus Orientem, postea versus Occidentem vergit: sic enim ait de libero arbit. cap. 1. *Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra potestate, neque laudandus, cum ad superiora; neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Item Hieronymus lib. 3. dialogi contra Pelag. *In nostra positum est potestate, inquit, vel peccare vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium: ubi alludit ad illud Ecclesi. 15. *Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam: manus enim in Scriptura significat arbitrium, libertatem, dominium, potestatem, & imperium; quia quæ in manu vel sub manu habemus, eis pro arbitrio liberè uti possumus,**

A eisque dominamur. Sic liberi *manu sua* appellabuntur, quod jam sui juris essent, & sub manu propria constituti. Et Abraham ad Saram de Ad. Demum D. Bernardus ferm. 81. in canticis, hanc nostræ voluntatis indifferentiam & libertatem mirum in modum extollit, his verbis: *Arbitrii libertas est planè divinum quiddam presulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac siquidem nascitur inter bonum & malum, nec non inter vitam & mortem, inter lucem & tenebras, & cognitio iudicii, & proprio eligendi.*

Hæc SS. Patrum testimonia discretissimè ad idem institutum Prudentii versibus concludimus è libro primo contra Symmachum.

— Libertas laetior ipsi,  
Concessa est homini, formam cui sceleris vite,  
Atque voluntatis licitum est: seu tramite dextro  
Scandere, seu laevo malis decurrere campo:  
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,  
Seu parere Deo, sive in contraria verti.

Probatur tertio conclusio: Homo, ut supra ostendimus, ad imaginem Dei dicitur conditus, quia libertate indifferentia fuit à Deo donatus. Sed imago Dei non est omnino deleta in nobis per peccatum originale, cum illa adhuc remaneat in dæmonibus & damnatis; ut eleganter docet D. Bernardus ferm. 1. de Annunt. his verbis: *Ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine: & similitudo quidem perit, virtutes in imagine pertransiit homo; imago siquidem in gehenna ipsa uris potest, non exuri, ardere, non deleri.* Quibus verbis imaginem Dei ab ejus similitudine distinguit, in eo quod imago attenditur penes naturalia, præcipuè penes arbitrii libertatem, & idèd saltem in aliquo gradu remanet in dæmonibus; similitudo verò penes gratuita, quare in illis post peccatum nullo modo pertransiit. Unde etiam libro de libero arbit. cap. 1. ait: *Divina similitudinis summum locum tenent angeli boni, nos infimum, Adam medium, diaboli nullum.* Ergo libertas indifferentia non fuit in nobis totaliter deleta per peccatum originale.

Denique suaderi potest conclusio hæc ratione: Homo in statu naturæ lapsæ meretur & demeretur, & elicit actiones moraliter bonas vel malas, & laude aut vituperio dignas, ut experientia constat: Sed ut actus nostri sint moraliter boni vel mali, meritorii vel demeritorii, & laude aut vituperio digni, requiritur libertas indifferentia, ut articulo sequenti ostendemus: Ergo in statu naturæ lapsæ reperitur in homine libertas indifferentia.

## §. IV.

## Solvuntur objectiones.

CONTRA istam conclusionem & catholicam eam veritatem obijciunt Hæretici quædam Augustini testimonia, quibus docere videtur nos per peccatum Adami liberum perdidisse arbitrium. Sic enim ait Epistolâ 107. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Et in Enechid. cap. 30. *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit ipsum.* Et libro de perfectione iustitiæ cap. 4. *Præter vitio in quod cecidit voluntate, carnis libertate naturæ.*

Sed facile respondetur, Augustinum his locis non

non intendere, per peccatum Adami perditam  
fuisse naturalem & nativam hominis libertatem,  
ut perperam contendunt Hæretici, sed facultatem  
ad bene agendum expeditam, seu comple-  
tam bene agendi, & peccati vitandi possibilitatem,  
quia illa habetur per gratiam, quam pec-  
cato primi parentis perdidimus. Ita clarè sei-  
plum explicat Augustinus lib. 1. contra duas e-  
pistololas Pelagian. cap. 2. ubi sic ait: *Quis nostrum  
dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum  
arbitrium ab humano genere? Libertas quidem per-  
tinet per peccatum; sed illa qua in paradiso fuit, ha-  
bens plenam cum immortalitate iustitiam, propter  
quod natura humana divinè indigeret gratiâ, di-  
cente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc verè  
liberi eritis: utique liberi ad bene, iustèque viven-  
dum, &c. Et lib. 2. cap. 5. Peccatò Adæ arbitrium  
liberum de natura hominum periisse non dicimus, sed  
ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad  
bene autem pièque vivendum non valere, nisi ipsa vo-  
luntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne  
bonum actionis, cognitionis, sermonis adjuta. Quæ  
ut melius intelligantur, & concilientur alia Au-  
gustini loca specie tenus adverte:*

Notandum est, vocem liberi arbitrii dupli-  
citer ab illo sumi, videlicet pro naturali facultate  
eligendi utrumlibet, positis omnibus ad id  
perrequiritis; & pro eadem facultate, ut in-  
licita & munita iisdem omnibus prærequisi-  
tis, inter quæ est Dei gratia, ad abstinendum à  
peccato, vel ad bene operandum utiliter ad vi-  
tam æternam. In priori sensu illam usurpat in  
libris quos scripsit contra Manichæos, qui na-  
turalem illam facultatem negebant, hominem-  
que subijciebant naturali necessitati, bonæ vel  
malæ animæ, in agendo bene vel malè. Scribens  
verò contra Pelagianos, qui dicebant vires na-  
turales arbitrii tales esse, tamque potentes &  
expeditas, ut possit sine auxilio gratiæ bene o-  
perari, & à peccato abstinere, illam sumit in  
posteriori sensu; præsertim cum docet, nos  
per peccatum Adami liberum arbitrium per-  
didisse. Vel, quod in idem redit, loquitur de  
libertate gratiæ, non naturæ, seu de immunitate  
à servitute & captivitate peccati, non verò  
de libertate indifferentiæ, de qua nunc disputa-  
mus. Liberum enim (ut supra annotavimus)  
tripliciter dicitur: à servitute seu subiectione, à  
coactione, & à necessitate. Liberum à servi-  
tute opponitur servo & captivo, atque in eo  
consistit, quod quis sit exemptus à servitute  
peccati, vel à subiectione: unde Paulinus in  
Epistola ad Celantiam: *Sola, inquit, apud Deum  
libertas est non servire peccatis; summa apud Deum  
nobilitas est clarere virtutibus.* Liberum à co-  
actione est idem quod spontaneum, & opponi-  
tur coacto seu violento. Liberum à necessitate  
opponitur necessario, & est idem quod indif-  
ferens ad agendum vel non agendum, vel ad a-  
gendum hoc vel illud.

Objicies secundò: D. Augustinus variis in  
locis docet in natura lapsæ esse necessitatem pec-  
candi, ortam ex peccato Adami, vel ex concupi-  
scentiâ: Ergo in statu naturæ lapsæ non datur in  
homine libertas indifferentiæ ad bonum & ma-  
lum. Consequentia videtur manifesta: liber-  
tas enim indifferentiæ ad bonum & malum,  
cum necessitate peccandi est incompensabilis.  
Antecedens probatur, tum ex illo dicto Au-  
gustini contra Julianum: *Multum erras, qui*  
Tom. III.

*vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel non  
intelligis illius peccati esse penam, quod nullâ ne-  
cessitate commissum est: tum ex alio adversus  
Pelagium, ubi ait: Quod ex vitii natura, non ex  
conditione natura sit quadam peccandi necessitas, au-  
diat homo; atque ut eadem necessitas non sit, discat  
Deo dicere: de necessitatibus meis educ me.* Addi  
possunt alia loca, in quibus asserit ex inolita  
peccandi consuetudine oriri in peccatoribus  
quandam peccandi necessitatem; ut libro de  
perfectiōne justitiæ cap. 5. ubi sic habet: *Quia  
peccavit, voluntas, sequitur esse peccantem peccandi du-  
ra necessitas.* Cui simile est quod ait alibi, *Vitiū  
vitiū in quod cecidit voluntate, sequitur esse peccandi  
necessitatem.* Concinit Bernardus serm. 81. in  
cantica: *Quis me (inquit) liberabit de mani-  
bus meis? non quod volo ago, sed me, non aliò pro-  
hibente; & quod odi illud facio, sed me, non aliò  
compellente.* Arque utinam prohibitio hac, & hac  
compulsio ita violenta esset, ut non esset voluntaria;  
forsitan enim sic possem excusari; aut certe ita esset  
voluntaria, ut non violenta: profectò enim sic possem  
corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem  
& voluntas inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas  
facit.

Respondeo, quod quando S. Augustinus do-  
cet ex peccato Adami, vel ex concupiscentia,  
ortam esse in nobis necessitatem peccandi, lo-  
quitur de necessitate quadam peccandi vagæ &  
indeterminatæ: quia licet homo in statu naturæ  
lapsæ possit singula divisivè vitare peccata, non  
tamen omnia collectivè, ut dicemus in tractatu  
de gratia. Unde S. Thomas qu. 25. de verit. art. 12. ad 7. exponens illud Psalmi: *De necessitatibus  
meis erue me, ait quod peccata dicuntur necessaria, in-  
quantum non possunt vitari omnia, quamvis possint  
vitari singula.*

Ad alia loca in quibus Augustinus asserit ex  
consuetudine oriri in peccatoribus peccandi  
necessitatem, dicendum est, ipsum loqui de ne-  
cessitate morali, non verò de physica: consue-  
tudo enim peccandi invehit tandem magnam  
abstinendi à peccato difficultatem, quæ mora-  
lis necessitas dicitur, juxta illud Augustini 8.  
confess. cap. 5. *Dum servitur libidini, facta est con-  
suetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est  
necessitas.* Et juxta illud Anselmi de libero ar-  
bitrio cap. 6. *Frequenti usu dicimus nos non posse  
aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine  
difficultate non possumus.* In eodem sensu loqui-  
tur Bernardus, dum ait quod *Necessitas incorrigi-  
bilem facit: non enim vult quod correctio sit  
absolutè impossibilis, sed solum quod sit summè  
difficilis, propter vehementiam prævæ inclina-  
tionis.*

Objicies tertio: D. Augustinus in libro ope-  
ris imperfecti contra Julianum, & pluribus aliis  
in locis, bifrontem indifferentiæ potestatem,  
quam Julianus & alii Pelagiani in libertatem  
inducebant, acertimè impugnat, eamque ve-  
luti balium, & fontem, ac nidum hæresis Pelagia-  
næ rejicit: Ergo talis libertas non potest tribui  
hominibus in statu naturæ lapsæ, sine hæresi  
manifesta, & evidenti cum Pelagianis com-  
mercio.

Respondeo, Augustinum triplici de causa re-  
probasse libertatem indifferentiæ, quam Julia-  
nus & alii Pelagiani admittebant: Primò, quia  
volebant indifferentiam illam seu potestatem  
ad agendum vel non agendum, talem esse, quod  
necessi-

necessitatem diuinæ motionis, & gratia liberum arbitrium applicantis, excluderet. Secundò, quia existimabant voluntatem hominis lapsi esse in perfecto equilibrio, sicut erat in statu innocentie, & æquè pronam in bonum ac in malum; subindeque negabant liberum arbitrium per peccatum Adami fuisse attenuatum & debilitatum, & ratione concupiscentiæ magis propensum ad bonum honestum & rationi consonum; ut refert Divus Prosper in Epistola ad Augustinum, ubi Massiliensium errores referens, ait: *Putant ut quia prevaricator idèd dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit: & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum se ad vitia vel virtutes movere.* Tertiò, illam libertatem reprobavit Augustinus, quia Julianus & alij Pelagiani liberum arbitrium generatim desinebant per potestatem bene vel malè agendi; cum tamen libertas generaliter sumpta, prout abstrahit à Deo & creaturis, & à Beatis ac viciatoribus, id non postulet, sed sufficiat indifferentia ad agendum hoc vel illud bonum, ut infra declarabimus. Non negabat tamen S. Doctor libertatem indifferentiæ, temperatam subiectione ad Deum, & indigentem ad operandum motione diuinâ, & gratiâ applicante; atque ratione concupiscentiæ ad malum propensam, subindeque per peccatum originale debilitatam. Item non negabat patientiam ad peccandum reperiri in viciatoribus non confirmatis in gratia, sed tantum negabat eam ingredi essentiam & rationem formalem libertatis. De quo infra.

## ARTICULUS II.

*An & que libertas ad humanorum actuum moralitatem seu ad meritum & demeritum requiratur?*

## §. I.

*Duplici conclusione difficultas resolvitur.*

169 **D**ico primò: Ut actus nostri sint boni vel mali moraliter, laudabiles aut vituperabiles, meritorii vel demeritorii, non sufficit spontaneitas seu libertas à coactione, sed requiritur libertas indifferentiæ.

Conclusio est certa de fide, & opposita sententia damnata ut hæretica ab Innocentio X. in nova constitutione, confirmata ab Alexandro VII. & ante illos à D. Thoma qu. 6. de malo art. unico, ubi hæc scribit: *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogereatur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cuius principium est extra, unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti &c.* Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophia opiniones: quia non solum contrariatur fidei, sed

A subvertit omnia principia Philosophiæ moralis: si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philosophia consistit.

Eadem ratione utuntur frequenter SS. Patres, qui passim docent, sublata libertate indifferentiæ, frustra esse consilia, exhortationes, præcepta, & actus nostros, nec præmiò, nec pœna, nec laude, nec vituperio dignos esse. Ita Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum, ubi ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; aliquid ubi necessitas est, nec damnatio, nec coronatio.* Quod dictum refert Augustinus libro de natura & gratia cap. 65. illudque approbat ut verissimum, certissimum, atque notissimum. Unde, ut supra vidimus, libro 3. de libero arbitrio cap. 1. asserit quod nisi motus animi, in nostra esse bonum vel ad malum spectatur, in nostra esse positus potestate, nec laudandus foret homo, neque culpandus, quando bene vel male agit. Item libro de fide contra Manichæos cap. 10. *Quis, inquit, non clamat stultem, præcepta dante, cui liberum non est quod præcipitur facere; & iniquum damnare eum, cui non fuit potestas iustitiam complere?* Et in libro de duabus animabus cap. 11. *Nec hi libri obscuri seruatim mihiterant, ut dicerem neminem vituperatione supplicio dignum, qui aut id velit quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores & in theatris Poetae, & in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antifistes in sacris locis, & in orbiterarum genus humanam?*

Hanc rationem eleganter prosequitur Eusebius lib. 6. de præparatione cap. 5. his verbis: *Sublato liberò arbitrio jacebit omnis Philosophia, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus strictus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi, inutiles prorsus leges, vana exhortationes, castæ oburgationes, nullum meritum, nulla merces, nec virtus erit nec vitium; si non libera voluntate, sed necessitate factorum opera nostra fiant.*

Potest etiam suaderi conclusio ratione quam insinuat S. Thomas in 2. dist. 24. quæst. 3. art. 3. ubi dicit quod ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur: Sed dominium voluntatis est per libertatem indifferentiæ, per quam in ejus potestate est agere vel non agere, aut agere hoc vel illud, ut docet idem S. Doctor 1. p. qu. 82. art. 1. ad 3. ubi ait quod *summi Domini nostrorum actuum, secundum quod possunt vel illud agere, & magis constabit ex dicendis articulo sequenti: Ergo libertas indifferentiæ est fundamentum moralitatis, & radix ex qua hæc proprietates in actibus humanis, veluti flores & rami progerminant, nempe quod sint laudabiles vel vituperabiles, & capaces meriti vel demeriti.*

Confirmatur: Idem sunt actus morales & actus humani, ut ait S. Thomas supra qu. 1. art. 3. Sed actus purè spontanei non possunt dici humani; Ergo nec morales appellati. Minor probatur ex eodem S. Doctore ibidem art. 1. ubi sic habet: *Ille ergo actio proprie humana dicitur, quæ ex voluntate deliberata procedunt; id est, quæ fiunt ex deliberatione rationis & electione voluntatis: Sed actus purè spontanei, & à sola co-*